

v. g., congregatio *puellarum Charitatis, sororum Sacri Cordis, sororum Sancti Caroli*, etc. non levis est difficultas, ob diversa jura Episcoporum locorum. S. Congregatio Regularium asseruit olim superiorissæ generali virginum Anglicanarum in Germania, jus visitandi domos, et virgines de uno in alium locum transferendi, *accedente autem subordinatione in prædictis ab ordinariis locorum*. In quo sisteret hæc subordinatione explicavit Benedictus XIV Brevi *Quamvis justo*, an. 1749. §§ 16-20. Nimirum : 1° quod ad visitationem refert, domos quidem sive ipsa, sive « per discretas mulieres et aptius fortasse « quam per viros, » ait Pontifex, visitare valet ; si vero sint negotia quæ ad diœcesis regimen aliqua ratione attineant, necesse erit, peracta visitatione, de omnibus relationem facere ad Episcopum loci, « ut is pastoralis providentiæ concilia capiat, « prout in Domino judicaverit. » 2° Si de translatione virginum de uno in aliud conservatorium agatur, ad exsequendum hujusmodi translationes postulabitur licentia et facultas « illius « Ordinarii præsulis, seu illorum, in cujus, vel quorum diœcesi « ipsa conservatoria respective sita reperiuntur. »

Valde nobis dubium est hæc sufficere statui præsentis congregationum sub una superiorissa generali constitutarum.

Contingere enim potest ut Episcopus recuset expetitam licentiam, velitque retinere in sua diœcesi virginem quam superiorissa opportunum ducit ad alterum conventum transferre ; potest etiam contingere ut non probet rationem administrationis bonorum quæ, licet in sua diœcesi sita, pertinent nihilominus ad institutum generale. Quo magis extensa erit per provincias congregatio, eo frequentior erit occasio conflictuum, inter Episcopos locorum et superiorissam generalem. Ut his conflictibus obviet, S. Sedes aliquando dat congregationi cardinalem protectorem cum jure providendi necessitatibus, aut commissarium apostolicum, cui committitur cura totius instituti ; donec vero S. Sedes providerit, per aliquam specialem delegationem, merito præsumitur ex approbatione data congre-

gationis constitutionibus, voluntatem S. Pontificis esse, ut in iis quæ ad regimen generale instituti, et ad illius bonorum administrationem, attinent, superiorissa non dependeat ab Episcopis locorum, cum aliter impossibile sit servare unitatem, et attingere efficaciter scopum congregationis.

Remanet vero singulis Episcopis jus et officium invigilandi, ne in sua diœcesi aliquid inordinatum fiat, et excessus coercendi, si locus detur ; remanet præterea integra jurisdictio ordinis supernaturalis pro cultu divino, observantia regularum generalium, deputatio confessariorum, tum ordinariorum, tum extraordinariorum. Remanet tandem jus visitationis canonicæ, quod cætera omnia complectitur¹.

500. — V° *Quid jure statutum sit de electione et deputatione confessariorum pro conventibus Monialium quæ vota simplicia emiserunt?*

1° Ex declarationibus S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, officium confessarii in *conservatoriis*, scilicet in conventibus monialium vota simplicia professarum, solet ad tres annos committi, quemadmodum observari diximus pro conventibus monialium exemptarum. Recentiori etiam ætate, anno 1847, ad dubia quæ proposuerat Episcopus Tridentinus : « ... An confessarii ordinarii sint singulis « trienniis mutandi, etsi fœminæ in conservatoriis degentes, « cum non sint stabilitate loci impeditæ, identidem, præsertim « sorores Charitatis hospitalitatibus inservientes, passim de « una domo et loco in alium locum et domum transferantur? » Rescriptum est : *Affirmative*.

2° « Pro monialibus Episcopo subjectis, regula est, ait Benedictus XIV, ut ordinarius earum confessor sit sacerdos sæcu-

¹ Cf. Breve citatum Benedicti XIV *Quamvis justo*, et alterum Breve ejusdem Pontificis *Emanavit*, 21 jan. 1758, datum occasione dubiorum quæ exorta fuerant inter Arch. Limanum et presbyteros congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, ut determinaretur quousque se extenderet jurisdictio Archiepiscopi in domos Præbyterorum Oratorii.

« laris; extraordinarium vero ex ordinibus regularibus sæpis-
« sime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse
« constat; deficiente forsau per singulas diœceses sæcularium
« presbyterorum ad id muneris idoneorum copia¹. »

Hæc sapienter ordinata sunt ad consulendum utilitati spiri-
tuali virginum Deo dicatarum; timendum est enim ne affectu
humano adhæreant personæ confessarii, vel contra ne libertate
conscientiæ necessaria nonnullæ ex eis priventur, si per diurnum
tempus eundem confessarium ordinarium adire debeant. Quod vero
ad regulares attinet, periculosum visum est si, præter casum necessitatis,
nimium implicentur negotiis et conversatione monialium; quapropter
sæpius prolata sunt a Sancta Sede varia decreta quibus arcentur a
monasteriis virginum.

Ex pluribus decisionibus, datis a S. Congregatione regularium,
quæ passim referuntur apud canonistas super disciplina mox explicata
de confessario triennali, et de conditione personæ deputandæ ad id
muneris, nullam quidem reperimus quæ prodierit ut decretum authenticum
ubique per Ecclesiam universalem stricte servandum, sed supponunt
disciplinam usu introductam, et ad mentem Sanctæ Sedis servandam,
quantum fieri potest. Non videtur praxi prævaluisse in regionibus
nostris, ubi, a diuturnissimo tempore, Præsules, suorum Prædecessorum
vestigiis inhærentes, et aliunde rationem habentes necessitatis
temporum, eligunt ad munus confessarii monialium quos idoneos
reperiunt, illudque tanti momenti officium tamdiu eisdem prorogant,
quamdiu in Domino opportunum existimant. Vix possent in suis
diœcesibus reperire numerum sacerdotum ad id officium idoneorum
sufficientem, ut novos confessarios monialium, loco priorum, substituunt
transactis trienniis. Concilium Avenionense, anno 1849, decretum
edidit quo satis aperte insinuat, id totum committi prudentiæ
Episcoporum :

¹ Benedictus XIV, Const. *Pastoralis curæ*, datam 1748. — Ferraris, vº *Monialis*, art. v, nº 19-30. — S. Alph. de Liguori, *Theolog. mor.*, lib. VI, nº 577.

« *Si commode fieri potest*, Ordinarius confessarius ad triennium tantum approbatur pro eodem monasterio, *saltem* « clausuræ subjecto. » Tit. VII, cap. II.

ARTICULUS VIII. — DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

501. — I. Regulares plura privilegia assecuti sunt, præter exemptionem a jurisdictione ordinaria Episcoporum, de qua mox dicebamus. Hæc privilegia continentur in pluribus constitutionibus quas regulares *Mare magnum* nominant, præsertim in Bulla Sixti IV, *Regimini universalis Ecclesiæ*, anno 1474 edita¹, et in indultis apostolicis recentiori ætate concessis. Referuntur ad indulgentias quas Regulares lucrari possunt; ad facultates ipsis concessas missas privatas dicendi, officium divinum recitandi ante horas jure communi præfixas, etc.; absolvendi a casibus papæ reservatis, exceptis tamen nonnullis; dispensandi super votis, et certis legibus canonicis, etc., de quibus disserit S. Liguori in libro de *Privilegiis*.

Alia sunt privilegia specialia nonnullis ordinibus. V. g., privi-

¹ *Mare magnum* dicunt diplomata, seu pontificia constitutiones quibus ampliuntur et firmantur privilegia regularium. Sixtus IV, S. Francisci, ordinisque Minoritarum filius, ut sui grati animi erga utrumque perennaret monumentum, gratias a suis prædecessoribus datas confirmavit et auxit per citatam Bullam *Regimini*; et cum alios etiam ordines Mendicantes magno affectu dignaretur, similem fere constitutionem Prædicatoribus, Carmelitis, et Eremitis S. Augustini concessit quam regulares, assumpta metaphora, *Mare magnum* vocaverunt. « Concussum autem est mare Tridenti et fines ejus coarctati, ait collector Bullarii Capuccinorum, dum « plura in eo contenta indulta in habita ibi œcumenica synodo fuerunt vel « revocata vel modificata. » Opportunum igitur duxit præfatus collector Bullam Sixti IV ex una parte folii ex integro dare, ad latus autem alterum inserere revocationes, modificationes, atque declarationes per decursum temporis a S. Sede factas (*Bullarium... pro ordine Minoritano...* a P. Fr. Michaeli Helveto-Tugiense, Ordinis Capuccinorum, tom. VI, pag. 158-198.) Giraldis transcripsit elenchum privilegiorum a conc. Trid. abrogatorum, in sua *Expositione juris pontificii*, part. I, sect. 895, *Appendix ad titulum de Privilegiis*.

legium datum superioribus Ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, benedicendi, per se vel per alios a se deputandos, *parvos habitus*, seu *scapularia* gestari solita a confratribus confraternitatum de Monte Carmelo, ubicumque erectarum, vel erigendarum — Privilegium datum magistro generali Ordinis Prædicatorum, erigendi societates *sanctissimi Rosarii*, et litteras concedendi facultativas, sive regularibus, sive sæcularibus, ut, de consensu ordinarii locorum, dictas societates erigere valeant — facultas concessa Ministro generali Ordinis Minorum et Regularibus ab eo dependentibus, erigendi, privative ad quoslibet alios, *viam Crucis*, de consensu Ordinarii, in locis ubi existit Ordo *Minorum Observantiæ S. Francisci*.

Nota. Quando facultatibus sacerdoti sæculari concessis adponitur conditio, qua delimitantur ad loca ubi Ordo *S. Dominici*, seu *S. Francisci non existit*, conditio intelligenda est stricto sensu, sub pœna nullitatis. Cæterum Ordo non censetur existere nisi in loco ubi conventus habet canonice erectos, servatis servandis, de quibus supra. Nihil quidem refert, quod sint exempti a jurisdictione Episcopi, vel eidem jurisdictioni subordinati, siquidem hæc privilegia non habent ab Episcopo, sed ab Apostolica sede; verum necesse est et sufficit illos conventum in loco fundasse cum Beneplacito S. Pontificis et licentia Episcopi. (N^{is} 449, 450, 451.)

Non sinit ratio nostri instituti, ut cuncta privilegia regularium in specie referamus; nonnulla citasse, exempli causa, nobis satis erit.

Plura abrogata fuere a concilio Tridentino et SS. Pontificum constitutionibus: alia expresse, decretis quibus addita est clausura revocatoria *Non obstantibus privilegiis in contrarium, aut consuetudine etiam immemorabili*; alia implicite, editis legibus quæ privilegiis regularium adversantur. Nonnulli olim propugnauerunt licitum esse regularibus uti in foro interno privilegiis etiam expresse revocatis, quam temerariam opinionem proscripsit Alexander VII. Est propositio xxxvi^a inter

damnatas, quæ sic habet: « Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis quæ sunt expresse revocata per concilium Tridentinum. »

Difficilior est quæstio de revocatione implicita: an scilicet cessaverint privilegia quæ decretis concilii contraria sunt, quando iisdem decretis addita non est clausula revocatoria. Plures affirmant, quia 1^o Concilium non ignorabat hæc privilegia; quapropter, dum condidit leges contrarias, censetur voluisse ea abrogare; 2^o Pius IV, Const. *In principis*, revocavit quæcumque privilegia decretis Tridentinis contraria; 3^o Pontifices qui, successu temporum, privilegia quædam innovarunt, clausulam plerumque inseri curaverunt: *dummodo decretis Tridentinis non adversentur*. Alii aliter opinantur, quia nulla lex, constitutio, nec decretum quantumvis generaliter latum, derogat particularibus locorum aut personarum statutis, prærogativis, consuetudinibus, nisi talem effectum exprimat legislator; quia hæc probabiliter ignorat, uti alibi diximus ubi *de Consuetudine* (n^o 20)¹. Bullæ SS. Pontificum volunt quidem decreta concilii observari, sed non in alio sensu quam voluit ipsummet concilium; ergo cum concilium non censeatur voluisse derogare privilegiis, quando non adhibuit clausulam derogatoriam, sequitur nec SS. Pontifices iisdem privilegiis derogasse, confirmando concilium.

Quidquid sit de quæstione speculative considerata, regulares qui prætendunt gaudere privilegiis quæ sunt contra jurisdictionem ordinariam Episcopi, debent ea notificare Episcopo, atque, eo instante, diploma privilegiorum ex integro exhibere, si eis uti velint; siquidem Episcopus non tenetur fidem adhibere assertioni illorum quorum interest. Donec sibi constiterit de obtentis privilegiis, Episcopus potest præcipere, etiam sub comminatione censurarum, ut regulares abstineant; quod si vero,

¹ Cf. Schmalzgtneber, in tit. DE PRIVILEGIIS, n^o 256-259; — Reiffenstuel, n^o 135-148.

exhibitis diplomatibus, verba videantur obscura et ambigua, adeundus erit S. Pontifex, intereaque cuncta in suspenso manebunt¹.

502. — II. Regulares privilegia obtinent, non solum decreto directo R. Pontificis et consuetudine, sicuti aliæ personæ ac communitates sæculares, sed insuper communicatione. *Communicatio* consistit in participatione privilegiorum quæ superior, concedendo alicui ordini, ad alios etiam vult extendi. Regulares Mendicantes plenissimam habent inter se communicationem privilegiorum; imo participant privilegiis aliis ordinibus non mendicantibus concessis, quod pluribus constitutionibus statutum fuit, ex quo tempore Sixtus IV primam communicationem indixit inter Fratres Minores et Prædicatores, « ut quos par labor, pariaque merita conjungebant, paria conjungerent privilegia et favores². » (Bulla *Regimini*, § 46.)

Animadvertendum est: 1^o Privilegium uni regulari privato concessum non communicari aliis regularibus; 2^o nec communicari privilegia aliquibus Ecclesiis ad tempus determinatum concessa; 3^o nec etiam privilegia data ordini ob rationem ipsi peculiarem quæ in cæteris locum non habet; 4^o non fieri communicationem privilegiorum in iis quæ sunt contraria regulis et constitutionibus ordinis; 5^o tandem non dari communicationem inter congregationes religiosas quæ non habent vota solemnia.

503. — III. Regularibus concessum fuit jus sibi eligendi conservatores qui ordinis jura et privilegia tueantur adversus contradicentes³: habent præterea a S. Pontifice Cardinalem protectorem.

¹ Plures quæstiones resolutæ reperiuntur in eo sensu a Constitutione *Cum sicut*, quæ data fuit cum declarationibus S. Congreg. ab Innocentio X, occasione difficultatum ortarum inter Episcopum et PP. Jesuitas.

² Cf. Ferraris v^o *Privilegium*, art. 1; Reiffenstuel, et alios passim Decretalium interpretes, in tit. xxxiii, lib. V Decret.

³ Hæc tamen electio *Conservatorum* non fuit exclusive attributa ordinibus regularibus: S. Sedes simili jure donavit universitates, collegia, loca pia, hospitalia... quibus id utile judicavit.

1^o *Conservatores* eliguntur ex iudicibus synodalibus; quod si vero synodus diœcesana nullos iudices designaverit, integrum erit regularibus, ne suo jure priventur, assumere quem voluerint in conservatorem, modo cæteroquin præstet qualitatibus requisitis, scilicet sit constitutus in dignitate ecclesiastica, vel personatum, aut canonicatum obtineat in capitulo cathedrali. Regulares non possunt eligere unum conservatorem generalem qui negotiis ordinis provideat, unde quaque causæ oriantur, sed conservatorem particularem qui versetur in diœcesi in qua conventus habent¹.

Officium conservatoris est tueri regulares, comminatione etiam et prolatione censurarum, ab injuriis et violentiis notoriis, si quis præsumat illorum jura invadere, aut turbare usum privilegiorum in causa aperta, quæ nullam indaginem judicalem exposcat. Non debent itaque conservatores cognoscere de causis criminalibus et mixtis, neque de causis mere civilibus, si regulares sint actores; hujusmodi enim causæ ad locorum Ordinarios pertinent. Iudices constituuntur in causis tantummodo civilibus ac notoriis, in quibus regulares gravamen ex parte sibi contradicentium, suaque privilegia violantium, experiuntur. Quando regulares de injuria illata queruntur, conservator, pro officio commisso, citat reum, ut in suis defensionibus illum audiat, etiam et testes qui de injuria testimonium ferant. Si de notorietate constet, jus habet reum coercendi, inflictæ excommunicatione; si autem probabile aliquid allegetur contra prætensam notorietatem, adeo ut res non sit notoria facti evidentiâ, nec ita clare probetur testium depositione ut nullus supersit tergiversationi locus, a iudicio ferendo abstinere tenetur.

Hæc paucis dixisse sufficiat de officio quod in nostris regionibus, attento statu præsentis rerum, committi non solet cum prærogativis jure canonico statutis. Regulares in causis sui

¹ Cf. Benedict. XIV, *de Synodo*, lib. IV, cap. vi; Matthæucci, cap. xv.

instituti ad Episcopum diœcesis qui illorum jura tueatur, confugiunt; aut recurrunt ad S. Pontificem, si forte aliqua ipsos inter et Episcopum suboriat difficultas, quam non aliter definire posse præsument.

2° SS. Pontifices consueverunt assignare singulis ordinibus et congregationibus religiosis *Cardinalem protectorem*. Cum vero, sæculis præteritis, protectores sua jura nimium extendere, ac dominari potius viderentur ordinibus quam eos protegere, officium illud restrictum fuit ad terminos canonum, juxta quos jurisdictio integra et illæsa remanet penes Ordinarios, et qui protectorem obtinent, non dicuntur illius jurisdictione, sed sub illius defensione constitui. Cardinalis protector nullam consequenter habet, hodierna ætate, jurisdictionem proprie dictam, nullam competentiam fori peculiaris. Partes potissimum habet ut ordinem sibi commendatum in statu pacifico conservet, ab impugnantibus et molestantibus protegat, in illius gratiam pro gravioribus negotiis intercedat apud S. Pontificem et Congregationes; ac tandem sua prudentia invigilet, non tamen se in regimen internum immiscendo, ut prælati suo fungantur officio, et ne inferiores a superioribus opprimantur¹.

APPENDIX AD SECTIONEM V^{am}

DE LEGE CIVILI CIRCA CONGREGATIONES RELIGIOSAS

Expositis sanctionibus canonicis de statu religioso, nonnulla subjungemus per modum appendixis, de ordinationibus potestatis civilis.

¹ Cf. Petra, *Commentaria* in Const. iv Gregorii XI, tom. IV, p. 162.

504. — I. Anno 1790, die 19 februarii, lege civili suppressa sunt monasteria in quibus fiebant vota solemnia: « La loi constitutionnelle du royaume ne reconnaîtra plus de vœux monastiques solennels de personnes de l'un et de l'autre sexe: en conséquence, les ordres et les congrégations régulières, dans lesquels on fait de pareils vœux, sont et demeureront supprimés, sans qu'il puisse en être établis de semblables à l'avenir. » Annis subsequentibus, suppressæ etiam fuerunt congregationes religiosæ votorum simplicium, ne iis quidem exceptis quæ pauperum et ægrotorum curæ addebantur; quando autem temporibus infaustis paulo meliora successissent, gubernium civile aliquas congregationes virorum et mulierum admisit, adjecta conditione quod in eis emitterentur tantummodo vota simplicia. Decretum an. 1809, diei 18 febr., sororibus instituti hospitalaris concessit ut vota ad quinquennium emitterent, si tamen ætatis suæ annum vigesimum primum compleverint.

Communitates, seu virorum seu mulierum, institui non possunt cum facultatibus corporis morales in ordine civili, absque approbatione data a gubernio; quæ quidem approbatio supponit prævium examen atque approbationem statutorum, et conceditur decreto principis, vel lege, pro varia conditione instituti.

Decretum 31 januarii anni 1852 statuit: « Art. 1^{er}. Les congrégations et communautés religieuses de femmes pourront être autorisées, par un décret du Président de la République, 1° lorsqu'elles déclareront adopter, quelle que soit l'époque de leur fondation, des statuts déjà vérifiés et enregistrés au Conseil d'État, et approuvés pour d'autres communautés religieuses; 2° lorsqu'il sera attesté par l'Évêque diocésain que les congrégations qui présenteront des statuts nouveaux au Conseil d'État existaient antérieurement au 1^{er} janvier 1825; 3° lorsqu'il y aura nécessité de réunir plusieurs communautés, qui ne pourraient plus subsister

« séparément ; 4^o lorsqu'une association religieuse de femmes, « après avoir été d'abord reconnue comme communauté régie « par une supérieure locale, justifiera qu'elle était réellement « dirigée, à l'époque de son autorisation, par une supérieure « générale, et qu'elle avait formé, à cette époque, des établis- « sements sous sa dépendance. Art. 2. Les modifications des « statuts vérifiés et enregistrés au Conseil d'État pourront être « également approuvées par un décret. Art. 3. Dans les cas pré- « vus par les articles précédents, l'autorisation ne sera accordée « aux congrégations religieuses de femmes qu'après que le « consentement de l'Évêque diocésain aura été représenté, et « que les formalités prescrites par les articles 2 et 3 de la loi « du 24 mai 1825 auront été remplies. »

Aliæ communitates, quæ nimirum nova statuta præferunt, et congregationes religiosæ virorum, non aliter adipiscuntur statum civilem, cum jure possidendi in commune, quatenus communitates religiosæ, quam vi legis more consueto deliberatæ in cœtu legislativo.

Hæc autem statuta sunt pro bonorum temporalium adeptione atque regimine, in gratiam communitatum rite approbatarum :

« Art. 1^{er}. Tout établissement ecclésiastique reconnu par la « loi pourra accepter, avec l'autorisation du roi, tous les biens « meubles, immeubles ou rentes, qui lui seront donnés par « acte entre-vifs ou par acte de dernière volonté. Art. 2. Tout « établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra égale- « ment, avec l'autorisation du roi, acquérir des biens immeu- « bles et des rentes. Art. 3. Les immeubles ou rentes apparte- « nant à un établissement ecclésiastique seront possédés à « perpétuité par ledit établissement, et seront inaliénables, à « moins que l'aliénation n'en soit autorisée par le roi. » (Lex 2 januarii anni 1817.) Lex 24 maii 1825 eadem statuit pro communitatibus mulierum, at simul coarctavit facultatem acquirendi, articulo 3^o qui fert : « Nulle personne faisant partie « d'un établissement autorisé ne pourra disposer par acte entre-

« vifs ou par testament, soit en faveur de cet établissement, « soit au profit de l'un de ses membres, au delà du quart de « ses biens, à moins que le don ou le legs n'excède pas la « somme de 10,000 fr. Cette prohibition cessera d'avoir son « effet relativement aux membres de l'établissement, si la dona- « taire, ou légataire, était héritière en ligne directe de la tes- « tatrice, ou donatrice. » Eadem lex prospexit ne bona incerta manerent in casu quo cessaverit communitas. « En cas d'extinc- « tion d'une communauté ou maison religieuse de femmes, ou « de révocation de l'autorisation qui lui aurait été accordée, les « biens acquis par donation entre-vifs, ou par disposition à « cause de mort, feront retour aux donateurs, ou à leurs pa- « rents au degré successible, ainsi qu'à ceux des testateurs au « même degré. Quant aux biens qui ne feraient pas retour, ou « qui auraient été acquis à titre onéreux, ils seront attribués « et répartis moitié aux établissements ecclésiastiques, moitié « aux hospices des départements dans lesquels seraient situés « les établissements éteints. »

Exinde sequitur 1^o nullam communitatem religiosam constitui posse in personam civilem, cum jure possidendi et agendi in foro sæculari, nisi approbetur decreto, vel lege ; 2^o communitatem approbatam non posse acquirere, nec alienare, bona immobilia et census, nisi obtinuerit specialem in singulis casibus facultatem a gubernio civili ; 3^o religiosos communitatis approbatæ retinere dominium et usum liberum suorum bonorum de quibus disponere possunt, ea tamen conditione ut feminae non donent communitati ad quam pertinent, nec ulli membrorum ejusdem communitatis, ultra partem art. 3 Legis 1825 assignatam.

505. — II. Certissimum est viro catholico communitates constitui posse, et reipsa constitui sola auctoritate Ecclesie, quatenus sunt instituta religiosa ; quoad statum civilem, certum etiam est non constitui de facto, cum jure agendi in foro sæculari, absque consensu principis civilis. Verum, si

communitates religiosæ, qua tales, priventur statu civili, non ideo reputandæ sunt in foro sæculari collegia illicita. Hæc duo asserimus : 1^o personas privatas quæ sponte propria simul conveniunt profitendi causa vitam perfectiorem, nihil contra leges patrias committere ; 2^o easdem personas posse constitui in societatem civilem, cum jure possidendi in foro sæculari.

1^o Quonam discrimine viri religiosi a cæteris civibus distinguuntur, quod lege reprobare possit? Inhabitantes eandem domum, similis formæ et coloris habitum gestant, simul laborant, orationi vacant, student, aliisve exercitiis dant operas. Estne lex aliqua quæ civibus interdixerit, ne numero viginti, aut quinquaginta, vel centum, nihil refert, in eadem domo diu noctuque morentur, simili vestitu utantur, et in sua domo, quod sibi placitum fuerit, vel singuli seorsim, vel insimul coadunati, agant, modo nihil presumant publicis moribus repugnans?... Sunt quidem leges politiæ quibus vetantur coadunationes numerosæ civium, statis temporibus, in eodem loco; sed hæc respiciunt ad externos qui in locum privatum conveniunt ut cœtus agant, non vero ad incolas ejusdem domus, qui scilicet jure communi sub eodem tecto morantur... Est alia lex, anno 1790 lata, quam modo allegavimus; verum, præter quod lex, lata temporibus quibus opprimebatur libertas religiosa, non est contra catholicos amplius invocanda, dici potest eandem legem statuere de domibus religiosis in quibus emittebantur vota sollemnia a potestate sæculari agnita, illiusque patrocinio tutata. Nullæ subsistunt hujusmodi communitates apud nos, nec probabiliter in futurum instaurabuntur¹. Vota, si quæ emiserint religiosi, vel ad tempus, vel in perpetuum, sunt fori interni conscientiæ, de quibus magistratui sæculari non est curandum, nec dijudicandum... His debent eo magis attendere, quotquot æmulantur veram libertatem et singulorum jura religiosa reverentur, quod omnibus catholicis divina ordi-

¹ Cf. *Mémoire sur les Associations religieuses non reconnues*, auct. de Vatisménil.

natione liberum sit observantiam consiliorum evangelicorum vitæ religiosæ professione sectari, quando, inspirante gratia, suæ conscientiæ impulsu se ad id genus vitæ vocatos sentiunt.

2^o Adjicimus nihil ob stare, ex parte juris communis civilis, quominus eadem personæ simul constituant societatem civilem, modo ad amussim serventur in constitutione hujus societatis, conditiones præscriptæ in codice civili. Ita plures in jure versatissimi, quorum argumenta paucis complexus est in hunc modum recentior jurisperitus qui tractatum edidit de hodierna legislatione Galliæ circa cultum catholicum : « Des individus, « libres de disposer, peuvent se former en société particulière « pour un objet spécial; tels seraient des établissements d'édu- « cation, de charité, et autres... Il n'existe pas de motifs pour « interdire une société, laquelle a pour principe un but reli- « gieux. La loi ne la défend pas. Elle se borne à proscrire, par « l'article 1823 du Code Napoléon, toute société qui aurait un « objet illicite; or il n'y a assurément rien d'immoral ni de « contraire à la loi dans une collection d'individus qui réunis- « sent en commun des moyens d'existence, à la condition de se « soumettre à une règle honnête, et de se livrer ensemble aux « mêmes exercices de piété... La loi n'autorise pas seulement « la société quand on y apporte des biens; on peut, dit « l'art. 1842, s'associer pour l'exercice d'un métier ou d'une « profession. Ainsi les professions les plus vulgaires, les plus « frivoles, jouiront du bienfait de l'association, et des individus « ne pourront pas se réunir en société, comme des Trappistes, « pour cultiver la terre, ou comme des Bénédictins, pour se « livrer à des travaux d'intelligence, comme des Ursulines pour « se livrer à des ouvrages de leur sexe! Il nous semble impos- « sible qu'il en soit ainsi... La loi a voulu empêcher la forma- « tion des corps de *mainmorte*, parce qu'ils font acquérir aux « individus, aux yeux mêmes de la société civile, des droits et « des obligations que la loi a voulu restreindre. Or une société « civile, même universelle, ne frappe aucun de ses biens d'in-

« disponibilité, et ne donne aux individus qui la composent ni
 « droits ni obligations parmi les autres citoyens... Les associa-
 « tions religieuses formées par un pacte social... sont régulières
 « et licites; et, sous ce rapport, elles ne peuvent être atta-
 « quées¹. »

506. — III. Hæc cum ita sint, certo tenemus legem civilem non ob stare quominus instituatur communitas. Nihilominus tamen arbitramur omni cura enitendum esse ut obtineatur existentia legalis, ad assecurandam efficacius possessionem bonorum temporalium.

S. Congregatio de propaganda fide transmisit an. 1840 ad Episcopos in Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis constitutos, regulas agendi subsequentes quæ ad alias regiones accommodantur : « ... Si quæ sint communitates quibus jus
 « a potestate civili tributum sit possidendi et ad successores
 « transmittendi bona omnia, vel aliquam eorum partem, nulla
 « erit occasio sollicitudinem exercendi ad eorum conservatio-
 « nem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit possidendi
 « bona, per societatis contractum, quo bona in communi possi-
 « deantur a tribus vel quatuor communitatis membris, ita ut
 « omnes socii jus illud possideant naturalis vitæ suæ tempore,
 « sed, quocumque ex illis mortuo, jus apud superstites socios
 « remaneat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex
 « ipsis facultate alienandi vitæ suæ tempore, vel per testamen-
 « tum relinquendi bona prædicta post mortem; tunc id tan-
 « tummodo ab Episcopo curandum erit, ut uno ex sociis
 « mortuo, alius ex communitatis membris in societatem adscis-
 « catur. Tandem, si unica testamenti remaneat via transmit-
 « tendi bona ad successores, præcipiat Episcopus superioribus,
 « vel illi qui suo proprio nomine bona possidere tunc poterit, ut
 « statim testamentum juxta leges civiles, duplici exemplari
 « æque authentico perficiat, ex quibus unum in communitatis

¹ *Traité de la législation des cultes*, par M. Gaudry, t. II, liv. II, tit. III, ch. II, sect. 1^{re}.

« scriniis diligenter asservetur, alterum vero ad Episcopum
 « diœcesanum in archivio asservandum mittatur¹. »

Media indicata passim adhibentur, sed non semper sufficiunt in nostris regionibus ad assecurandum possessionem bonorum. Modus ille acquirendi, possidendi et transmittendi inducit plures actus qui, etsi liciti, ratione præsertim habita circumstantiarum, viris tamen sæcularibus videri possunt alieni a simplicitate et veritate; et si lis moveatur ab hæredibus donatoris, seu testatoris, contingere potest ut iudices, pro suo arbitrio, pronuntient societatem trium aut quatuor, quorum nomine fit acquisitio, esse merum figmentum, et donationem seu testamentum rescindant, uti fideicommissum jure vetitum, quod haud semel accidit recentiori ætate.

¹ *Fasciculus quo recensentur acta et decreta Synodorum provincialium Baltimori habitorum*; pag. 85, 84, ad calcem tomi V Bullarii pontificii S. Congreg. de propaganda fide.